

DE HIS QUI IN PRIORUM CREDITORUM LOCUM SUCCEDUNT.

8.19.1

Impp. Severus et Antoninus AA. Marcellinae.

Non omnimodo succedunt in locum hypothecarii creditoris hi, quorum pecunia ad creditorem transit, hoc enim tunc observatur, cum is, qui pecuniam postea dat, sub hoc pacto credat, ut idem pignus ei obligetur et in locum eius succedat.

1 ¶ Quod cum in tua persona factum non sit (iudicatum est enim te pignora non accepisse), frustra putas tibi auxilio opus esse constitutionis nostrae ad eam rem pertinentis.

PP. id. Iul. Pompeiano et Avito cons.

[a. 209]

8.19.2

Imp. Antoninus A. Felici.

Cum pro patre, in cuius potestate non eras, pecuniam fisco intuleris, et iure privilegio eius successisti et eius locum cui pecuniam numerasti consecutus es, nec hi creditores patris tui, qui personalem habuerunt actionem vel cum eo postea sub pignoribus contraxerunt, pignora tua te ignorante distrahendo iuri tuo aliquid derogaverunt.

1 ¶ Unde intellegis, si quid tuo nomine te absente ab actoribus tuis solutum est, ut indebitum numeratum restitui pignoraque tibi nexa persequi te posse.

PP. k. Oct. Romae Sabino II et Anullino cons.

[a. 216]

8.19.3

Imp. Alexander A. Valenti.

Si potiores creditores pecunia tua dimissi sunt, quibus obligata fuit possessio, quam emisse te dicis, ita ut pretium perveniret ad eosdem priores creditores, in ius eorum successisti et contra eos, qui infirmiores illis fuerunt, iusta defensione te tueri potes.

PP. k. Febr. Iuliano et Crispino cons.

[a. 224]

8.19.4

Impp. Diocletianus et Maximianus AA. Carpophoro.

Si prior res publica contraxit fundusque ei est obligatus, tibi secundo creditori offerendi pecuniam potestas est, ut succedas etiam in ius rei publicae.

PP. XV k. Iun. Maximo II et Aquilino cons.

[a. 286]